



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](#)

PSALMUS LII.

TItulus: *In finem pro Macheleth intelligentia David.*

Per Macheleth verius videtur intelligi non men proprium alicujus instrumenti musici.

Argumentum est deploratio generis humani: ideo enim fit mentio intelligentiae David, quia per ipsum coarguenda erat cecitas, & insipientia generis humani.

¶. 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.*

¶. 2. *Corrupti sunt, & abominabiles facte sunt in iniquitatibus suis, non est, qui faciat bonum.*

¶. 3. *Deus de celo prospexit, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum.*

¶. 4. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

¶. 5. *Nonne scient omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam, in cibum panis.*

¶. 6. *Deum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

¶. 7. *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.*

¶. 8. *Quis dabit ex Sion salutare Israel?*
cum converterit Deus captivitatem plebis sue,
exultabit Jacob, & latabitur Israel.

Hic Psalmus idem ferè est cum Psalmo 13.
 indè igitur petenda explicatio : satis enim erit
 hic annotare utriusque diversitatem.

¶. 1. 3. 4. & 6. Omnino idem est , nisi
 quod ibi *Dominus* , hic *Deus* dicatur.

¶. 2. Hic ait *in studiis* , ibi *in iniquitatibus* ; sed idem est : studia enim illa sunt affectus , & desideria mala , quæ iniqua , seu iniquitates sunt.

¶. 5., Qui ibi respondet octavo , hic di-
 cit , nonne scient ; ibi verò , nonne cognos-
 cent.

¶. 5. v. 6. & 7. Psalmi 13., Hic non ha-
 bentur ; sed , ut ibi dictum est , ad Psalmum
 propriè non pertinent.

¶. 7., Qui respondet decimo , planè di-
 versus est. Hic dicitur ratio , cur impii tre-
 pident inani timore , esse hæc , quia Deus de-
 bilitat omne robur eorum , ut etiam levissi-
 ma quæque formident : id verò facit admirabili
 providentiâ suâ infatuando consilia eo-
 rum , impediendo conatus , & ad nihilum re-
 digendo omnes machinationes eorum : ossa
 enim in S. Scripturis pro fortitudine passim
 accipiuntur. Addit : *qui hominibus placent,*
quia

— 3 (9) —

quia hi homines plenì sunt timore humano,
seu mundano , & totum studium eorum est
hominibus placere. Apostolus autem è con-
trario dicit : *Si hominibus placerem, Christi
servus non essem.*

¶. 8. Et ultimus cum ultimo ¶. Psalm. 13.
idem est , nisi quod ibi dicatur Deus *averte-*
re , hic *convertere* captivitatem ; sed sensus
idem est. Deus avertit captivitatem, cùm eam
tollit , quod fit , cùm captivis liberatis, cap-
tivitas esse desinit. Deus convertit captivitatem,
dum captivos reducit in patriam. Demum cùm
dicitur averti captivitas , sumitur captivitas
pro formâ , h. e. pro ipsâ verâ captivitate :
cùm dicitur converti captivitas , hæc sumitur
pro personis , quæ erant captivæ.

PSALMUS LIII.

Titus : *In finem in carminibus intellectus*
David , cùm venissent Ziphæi , & dixi-
sent ad Saul , nónne David absconditus est
apud nos ?

Ex titulo colligitur Argumentum. Scribitur
L. 1. Reg. C. 23. Ziphæos præditores fuisse Da-
vidis , qui apud eos , tanquam apud amicos
manens , declinabat persecutionem Saulis. Ipsi
enim Sauli patefecerunt , Davidem apud se
latere : Unde factum est , ut Saul cum maxi-